QUAE MAXIMA ILLUSTRIORAQUE

RERUM GESTARUM MONUMENTA

# HISTORIAE ECCLESIASTICAE AERAM ALTERAM

AB CONSTANTINO PRIMO CHRISTIANI NOMINIS IMPERATORE
AD MAGNUM USQUE GREGORIUM PONTIFICEM

EXORNANT

PUBLICA DISPUTATIONE TUETUR


## FR. PIUS ANTONINUS TONNA

REGII NEAPOLITANI COENOBII


AB. D. PARENTE DOMINICO

ALUMNUS

ET IN COLLEGIO D. THOMAE AQUINATIS DE URBE
SACRAE FACULTATIS AUDITOR.









ROMAE MDCCCXXVIII

TYPIS JOSEPHI ET FRANCISCI SALVIUCCI

# IVLIO MARIAE

SANCTAE . ROMANAE . ECCLESIAE . CARDINALI . DE . SOMALIA

EPISCOPO . OSTIENSI . ET . VELITRENSI

PRINCIPVM . IN . ECCLESIA . SENATORUM . CONLEGII

ANTESIGNANO

MAIORVM . GLORIA . ILLVSTRI . SVAQVE . ILLVSTRIORI

CLARIS . VBIQVE . AC . LAVDATISSIMIS

DOCTRINAE . RELIGIONIS . ET . PIETATIS . EXEMPLIS

SVBLIMIA . DIGNITATVM . INCREMENTA

PROPERE . NOBILISSIME . ADSEQVTO

HANC . DE . CHRISTIANA . HISTORIA . DISPVTATIONEM

PIUS . ANTONINUS . TONNA

ORDINIS . PRAEDICATORVM . SODALIS

FAMILIAE . SVAE . PATRONO . AMPLIFICATORI . VINDICI

OPTIMO . BENEMERENTI

PERENNE . GRATI . ANIMI . TESTIMONIVM

D . O . C

EMINENTISSIME PRINCEPS.

*Qui magnum aliquod in terris nomen, dignitatisque fastigium non tam avita generis claritate, quam propria undique virtutis commendatione sunt assequti; ii mortalium reliquis admirationi, nobilique præterea exemplo esse consueverunt. Cum vero partam ea ratione insignem loci auctoritatem facili quoque ad benemerendum ingenio, opibusque munificis amplificare moliuntur, tum maxime omnium sibi animos, voluntatesque devinciunt. Bene igitur, bene ha-*

*bet, Princeps Eminentissime, quod utrumque illud, haud cæteroquin frequens vel in præstantissimo quoquam experiundum, in Te uno satis, abunde, cumulateque repererim, cui meum hocce Academicæ exercitationis specimen in Christianæ Historiæ selectiora capita commendare, penitusque devovere constitui. Queis namque ipse præclaris, egregieque functis muneribus, Vaticanæ qua nites Purpuræ Decus jam longo ab hinc ævi spatio exornaveris, nemo est in alma hac Urbe, ac toto pene dixerim Christiano orbe, quem lateat. Atque ea ob id ne fusius numerando percenseam, duo præsertim efficiunt: rerum imprimis a te gestarum comperta magnitudo, eademque oppido spectabilior modestia tua. Sed illa demum quæcumque fuerint, non idcirco vetant, insigne aliud hoc loci commemorare; tuam videlicet singularem, planeque eximiam in nos munificentiam, cui me tot, tantaque debere profiteor. Mei namque decoris, atque emolumenti fore ratus quidquid tutelae et auspicii, quidquid faustitatis & gloriæ in familiæ nostræ præsidium, atque ornamentum derivetur; haud possum exinde quin animo jucundissimo repetam, verbisque alacriter promam qua mente, ac studio, qua largitate ac favore rebus ubique nostris amplificandis ipse profueris, ex quo earum Tibi sollicitudinem ac clientelam SS. D. N. LEO XII. Pont. Max. (quem Deus in ævum servet incolumem) pro sua in Ordinem benevolentia demandavit. Adeo nimirum creditam tibi curam tot licet septus gravissimis Ecclesiæ negociis impense hactenus, prospereque gessisti, felix ut jam te Duce ac Patrono Guzmanæ Soboli spes affulserit, majorum hinc instauratis exemplis cito instructum, simulque e castris evocatum iri strenuam illam Fortissimorum aciem, cujus ope germana*

*Fides nullo non tempore ab hæresum adgressionibus tuta mirificos egit de perduellium impietate triumphos. Age propterea iis imposterum fausto omine celerandis votis, conatibusque nostris adesto. Jam enim video decoram hanc Thomæ Aquinatis Palestram novis in dies trophæis, insignibusque, tuo Patrocinio ditari, lectosque in ea dimicantes tanti Doctoris asseclas ad arcem illico divinæ Sapientiæ propere, naviterque contendere. Ac me licet præclaros inter illiusmodi sapientiæ, doctrinæque cultores imparem viribus, exiguumque ingenii sentiam, haud inde deterreor, cœptisve desisto, vel arduo utcumque litterarii hujusce certaminis ingruente periculo. Quod namque illud præcelso, atque inclyto tuo nomini inscriptum velim, eo confestim veluti munimine tectum, vindicatumque iri non ambigo. Quin & aliud præter id metui, atque oneri ex parte levando accedit, quod nempe ad hoc aleæ plenum opus exigendum non mea me voluntas impulerit, sed maxime illius, qui summas apud nos Regiminis habenas ad hanc usque diem sapientissime moderatus, egregie item studiorum nostrorum incremento, felicitatique consuluit. Quod si nullam ego ejus in me meritis, vicem hactenus videor rependisse agam nihilominus, enitarque deinceps ne cujusquam eorum, quæ mihi contulit, ipsum aliquando pœniteat. Quam etiam, ob rem te huc denuo Princeps Eminentissime, oro, obtestorque, ut me jam jam in arenam venientem tuo auspicio tueare; totumque dein conatus, atque laboris exitum, si modo dignum tua praesentia facturus sum, tuum illico habeas, putesque omnino eo a me proditum obsequentis, gratique animi testimonium, votumque ab Cœtu nostro perenne pro tua diu incolumitate nuncupatum.*

3

# HISTORIA EXTERNA.

## FATA ECCLESIAE PROSPERA.

1.

Constantinus Imperator, quem jure optimo invictissimum Christianismi Cæsarem appellaveris, haud ficte, aut larva tenus, quod heterodoxi plerique blaterant; sed vere, totoque ex animo Christianæ Religioni nomen dedit.

2.

Id vero cum alia, tum illud præsertim cœleste signum effecit, quo inclyto eidem Dynastæ Maxentium Tyrannum oppugnaturo fulgidissima in aere Crux apparuit, eo mox litterarum emblemate radiante. *Hac vince*.

3.

Quæ oppido illustris, omnique ævo celeberrima apparitio; luculentis adeo, firmissimisque historiæ monumentis evincitur, ut perperam omnino, quod Voltairio placuit, ceu bellicum stratagema, facinusque ab Imperatore confictum traducatur.

4.

Ludit quoque, quin frustra obnisus temere garrit ea de re Lutheranus Fabricius, cum insolens quoddam, at interim naturale Phenomenon Constantinianæ apparitioni explicandæ comminiscitur.

5.

Jam felix pientissimi illius Augusti ad Sacra Religionis transitus, quo promptiorem ipsum agnitæ Fidei veritati ab initio

devovit; eo adhuc magis imposterum germanæ cultus Professioni allexit, devinxitque, ut nulla unquam nec Arianæ, nec alterius cujusque haereseos contagione sorduerit.

6.

At strenuus licet, inhiansque in dies susceptæ Religionis incrementa propere hæc ipsa urgere nequicquam desierit Imperator; his nihilo minus talem undique navavit operam, quæ & nobilissimum veritatis Patronum, & Principem sane æquissimum deceret; nulla scilicet populis in fidei obsequium redigendis illata vi, terroreve pænarum.

7.

Opibus equidem, insignique Regiæ authoritatis patrocinio Christianæ Societati amplificandæ se totum dedit Constantinus; atque adeo id negotii impense moliebatur, ut se olim Catholicos Antistites alloquens exteriorem Episcopum appellarit, quamquam is proprie, nec sacra obierit ministeria, nec jus quodpiam in Ecclesiæ Regimine obtenderit.

8.

Quin integra prorsus, illæsaque Ecclesiæ administris Sacrorum jura esse voluit; horumque vindices Christianos Præsules, ac summum eos inter Hierarcham Sylvestrum Romanum Pontificem magno semper in honore, potestateque se habere monstrarit.

9.

Sed minime tamen ea de causa, aliisve inferendum Imperatorem ab eo Pontifice Romæ baptismate donatum; quod certe ad suburbana Nicomediæ instante vitæ exitu suscepisse, insigniora quæque historicæ veritatis argumenta suadent.

10.

Ob id quoque ruit male parta illorum opinio, qui ex apocryphis Sylvestri actis commentitiam illam Donationem effinxere, qua Imperator Pontifici eidem Romanæ urbis, atque adjacentis Regionis temporale Dominium contulisse ferebatur.

11.

Cæterum quod magis interest prospera Ecclesiæ fata, illud est omnibus exploratissimum, alios item ab Constantino sequiori ævo Imperantes, illius plane in Religione amplificanda hæsisse vestigiis; atque in occidente quidem post divisum Imperium reliquis longe admodum præivisse M. Clodovæum, Rhemis ab S. Remigio baptizatum.

12.

Atque illud porro insigne quod fertur prodigium, delatæ cœlitus per columbam ampullæ chrismatis dum sacro Rex gurgite mergeretur historicæ probabilitatis fines nequidquam excedere cordato cuique facile suadetur.

## FATA ECCLESIAE ADVERSA.

13.

Rei Christianæ felicitas quarto ineunte sæculo, haud levi hercle infortunio turbari cœpit, ob motam Diocletiano Imperante in Christi asseclas persequtionem, quam sævam, diuturnam, atque cruentam necibus, ærumnisque fuisse constat.

14.

Perperam inde atque adeo in Rem Christianam contumeliose obganniunt Dodwellus, Gibbonius, ac Voltairius non tam acriter bellum illud efferbuisse; nec late admodum debachatam Tyrannidis iram, cum ex adverso id plane liqueat satis ingentem Christi athletarum multitudinem, ubique ferme regionum ea ingruente clade occubuisse.

15.

Novum interea, illudque teterrimum, specie quamvis minus atrox, malorum agmen Christianæ Reipublicæ impendebat medio circiter sæculo qnarto, vix nempe ad Imperium evecto apostata Juliano. Vaferrima ille, eademque dirissima persequtione universam qua late patebat Christifidelium societatem adortus est; huic namque cædis instar effusa contemptio, ipsaque armorum vi crudelior plane fuit ab orco remeans idololatrica superstitio.

16.

Sed illi protinus vires, opemque ad Christianæ Religionis exitium additurus Julianus, cum vel Judaicam impietatem fovet, urgetque Proselytos Hierosolymis ad templi molem instaurandam, divinæ confestim ultionis ira deterretur; quod miro sane prodigio quassata motibus terra, illiusque e visceribus igneis erumpentibus globis, atque omni demum structuræ apparatu everso contigisse, adversus Basnagium, aliosque defendimus.

17.

Hæc dum excurrimus castiganda obiter nonnullorum, præsertim Montesquieu vesana prorsus in Julianum assentatio, qua

maximis illum Principibus æquiparandum, Constantino insuper præferendum existimat a quo longe admodum & ingenii præstantia, & bellica fortitudine ablusisse compertum est.

## HISTORIA ECCLESIAE INTERIOR.

### DE ROMANIS PONTIFICIBUS.

18.

Absonam penitus eorum opinionem ostendimus, qui, ut probrum R. Sedi atque invidiam conflent S. Marcellinum P. Idolis thus adolevisse contendunt, ob idque in Apostolica Petri Cathedra orthodoxæ doctrinæ magisterium temerasse.

19.

Audax item, putidumque Basnagii commentum est Melchiadem Romanum Pontificem vicaria Constantini Imperatoris authoritate R. Concilio præfuisse, in eoque Sententiam pronunciasse adversus Donatistas.

20.

Zosimi judicium in causa Cœlestii Pelagiani nequicquam hujus haereses ab eo Pontifice probatas evincit, ut parum æque, nimisque etiam imprudenter existimavit clarissimus Auctor *Defens. Declar. Cleri. Gallicani.*

21.

De Liberio autem, deque Fidei ab eo subscripta formula, quidquid demum autument Theologi, scriptoresque rerum Ecclesiasticarum; id nos apprime ratum exploratumque habe-

mus Pontificem illum Arianæ hæreseos, impietatisque luto minime hæsisse.

22.

Merito ab veri nominis sapientibus redarguuntur Launojus, Villersius, aliique Vigilium Romanum Pontificem in controversia *Trium Capitulorum* de turpi inconstantia, animique imbecillitate postulantes.

23.

S. Leo Primus nomine, ac re inter Pontifices vere magnus divino sui primatus jure usus est cum Ephesinæ II., itemque Chalcedonensi Synodo authoritate præscripsit, quid contra Eutichetem esset finiendum.

24.

Hinc veram germanamque Primatus illius rationem aut minime assequuntur, aut maxime lædunt, qui datam ab eodem Pontifice ad Flavianum Epistolam Chalcedonenses Patres suo velut juri, atque examini subjecisse contendunt.

25.

Divus Gregorius Magnus illustris ut erat Religionis, Christianæque pietatis vindex, non equidem Imperiali delegatione usus, quod Archipræsul Parisiensis De Marca obtrudit; sed Apostolicæ Potestatis officio legem illam optime temperavit, qua pridem vetuerat Mauritius Imperator ne milites monasticam vestem induerant.

26.

Dialogorum Libros, præclara illa omnigenæ eruditionis volumina laudato Pontifici abjudicare, sanioris criticæ canones ve-

tant; nec aliquid insuper operis ejus dignitati officiunt nævi plerique ab Dallæo Calviniano homine notati.

## DE CONCILIIS.

27.

Illiberitana Synodus, nec post Nicæni Concilii tempora; nec ante Novatianam hæresim; sed imminente Diocletiani, Maximianique persecutione celebrata est.

28.

Illius vero, haud parvi faciendam in Ecclesia ducimus authoritatem, in cujus fide nihil non integrum, in cujus disciplina nihil non sanctum.

29.

*Plenarii Concilii* nomine in quo de baptismate hæreticorum finitam & eliquatam controversiam scribit Augustinus, nullatenus Arelatense primum, sed generale Nicænum intelligendum arbitramur.

30.

Atque illud porro non ita M. Constantini authoritate indici potuit; quin sua ob id Sylvester R. Pontifex aut præiret sententia, aut placito lubenter annueret.

31.

Vero nequaquam similem arbitramur, quam plerique referunt historiam Paphnutii Patres in ea Synodo obtestantes, ne majoribus Clericis, Presbyterisque jam conjugatis continentiæ jugum imponerent.

32.

Quod de Nicæna nuper innuimus, idem prorsus & de Ephesina tertia Synodo sentiendum arbitramur; eam nimirnm ab Juniore quidem Theodosio, at minime sine interventu, authoritateque Cœlestini R. Pont. convocatam.

33.

Cyrillus autem Alexandrinus Episcopus, & Patriarcha haud proprio, quod perperam effutit Basnagius: sed laudati Cœlestini nomine illi Synodo præfuit.

34.

Rite admodum, æquissimeque in causa Theodoreti se gessit magna OEcumenica Synodus Chalcedonensis, dum illum etsi ut Catholicus ab R.Pontifice fuisset ad communionem receptus, quo tamen ab hæreseos suspicione se plene purgaret, hæresim ipsam, illiusque authorem damnare coegit.

35.

Quinta Synodus *Tria Capitula* juste damnavit; in eaque præterea agendi ratione, sibi omnino superiorem Vigilii R. P. authoritatem agnovit.

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA.

36.

Diu ante Sardicensis Concilii tempora causarum Ecclesiasticarum ad R. Sedem appellationes jure obtinuisse constat; nec aliud exinde Sardicensium Canonum editione factum est, quam jus illud novo superaddito robore firmius instaurare.

37.

Haud itaque Canonum eorumdem germanam significationem assequuntur, vel eamdem temere omnino pervertunt, quotquot Quesnellio, Febronio aliisque hujus ingenii morem gerentes effutiunt, nil aliud ea lege sancitum quam *Jus decernendi recognitionem Judicii*, at minime veram judicandi potestatem R. Sedi attribui.

38.

Nec illæ jam, quæcumque demum fuerint sive Clericorum, sive Antistitum ad R. Pontificem appellationes, eam ullatenus conditionem præseferunt. *Salva Conciliorum Generalium authoritate*; quin potius hac de re mentio nulla in exemplis illustrioribus appellationum S. Flaviani & Theodoreti.

39.

Etsi ob immanes tribus prioribus Ecclesiæ sæculis in Christi asseclas ingruentes persequutiones SS. Reliquiarum cultus non adeo frequens extiterit; eidem nihilominus præter Divina Scripturarum atque Traditionis oracula: vetera insuper Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta suffragari exploratissimum est.

40.

Idipsum præterea de Sacris Divorum Imaginibus adversus Iconomachos, ac Neotericum Calvinistam Dallæum jure optimo adfirmamus.

*Publica de his erit Academia ad S. M. supra Minervam die* 11. *Augusti hora* 21. $\frac{1}{2}$ *a meridie*, *Præside* Fr. Angelo Vincentio Modena *Hist. Eccles. et Loc. Theolog. Professore.*

☞ *Facto cuique a tertio jure contradicendi.*

NIHIL OBSTAT.

*D. P. Del Signore pub. Prof.*

IMPRIMATUR.

*Fr. Dom. Buttaoni M. S. P. A. S.*

IMPRIMATUR.

*J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.*


# EPISTOLA
# PASTORALIS

## AD CLERUM

ET

## POPULUM LARINENSEM



ROMAE 1829
APUD JUNCHIUM ET SOC.
*Praesidum facultate.*

# VINCENTIUS LA ROCCA

## SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

## EPISCOPUS LARINENSIS

*Venerabilibus Fratribus, et Amantissimis in Christo Filiis, Dignitatibus, Canonicis, Parochis, utrique Clero, Virginibus Sacris, Ordinibus, Populoque Dioecesis Suae,*

PACEM, ET SALUTEM A DOMINO SEMPITERNAM.

---

Sola Dei misericordia, et Apostolicae Sedis gratia ad praesentationem Religiosissimi Regis Nostri Francisci I.[i], quem Deus semper sospitet, ad Larinensem Episcopatum assumptus de mea ad tantum opus imparitate loqui operae praetium non existimo. Scriptum est enim: *quod potest Deus de lapidibus suscitare Filios Abhrae: ideoque in Domino speravi; et non confundar. In manibus Domini sortes meae.*

Vos autem ipsi tenuitatem meam cognoscitis; et cum Anno millesimo octingentesimo decimo septimo Sa: Me: Pii Papae Septimi Pontificis Maximi Apostolica mandata exequebar, vos verba mea audistis, et ego lenitatem, et docilitatem vestram cognovi. Usque ab eo tempore condolebar *iis, qui ignorant, et errant; quoniam et ipse circumdatus sum infirmitate.*

Non mittor igitur ad Populum ignoti sermonis : *Cognosco oves meas , et cognoscunt me meae .* Vos omnes , et singuli vidistis meam indolem , ingenium , mores. Cum advena essem inter vos , Deo adjuvante , pro salute Animarum , quas Jesus Christus suo sanguine redemit , laboravi : nunc vero cum missionem Apostolicam , characterem Episcopatus , et Spiritus Sancti charismata , ut in Domino confido , recepi , pascam in corde meo gregem meum , quaeram ovem , quae erravit , ac meis impositam humeris reducam, curabo infirmam , et Dei auxilio mortuam suscitabo.

Qua de re Vos primum alloquens praestantes Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Larinensis , quos gaudium , et Coronam meam appellabo , vos qui optimam partem elegistis , illam nempe adstandi ante Altare Dei ut Seraphim in Caelis , psalmisque , et Canticis Sancto Sanctorum assiduas laudes persolvendi , hoc a vobis exoptat Episcopus vester , ut quemadmodum honore , ita et virtutum specimine caeteros de Clero praecellatis . Vel de hoc tantum vos rogo , ut quotidiana psalmodia vestra talis sit, quae ad *Tronum Dei cum odore suavitatis ascendat semper* . Mementote sacras preces non deprecantibus tantum, sed et caeteris multum prodesse : scriptum est enim *Orate pro invicem : multum enim valet deprecatio justi assidua* . Mementote insuper quod praecipua Ecclesiae militantis propugnacula sint praeces publicae, et *Juge sacrificium*. Tandem omnem curam mecum impendite in administratione Dioecesana, Sacri Seminarii , Confraternitatum , ac Locorum Piorum publicae beneficentiae . Cavetene propter avaritiam super Vos cadat Æterni maledictio : *comederunt sacrificia mortuorum , multiplicata est super eis ruina* . Ad majorem ergo Dei gloriam Seminarij Alumnorum Ecclesiasticorum, Hospitalis Pauperum infirmorum reparationi , consulamus: Mecum

etiam accurite, ac collaboratores mei estote in providendis Puellis praesertim periclitantibus, in pauperibus Adolescentibus ad bonam, et Christianam frugem informandis, ac denique pro Domus Dei, et pro humanitatis, et publicae Salutis cura in restauratione collabentium Sepulcrorum.

Vos vero Sacri Animarum Pastores, quorum sollicitudini multae Gregis partes commissae sunt, mementote quod vestrum sit quam plurimas hosti illi maligno, et veternoso praedas auferre. In hisce speciatim temporibus, in quibus falsa quaedam Philosophia perniciosa dogmata spargens homines a recta semita ad veram trahit perditionem: Maximum profecto est infortunium effrenata illa proclivitas imitandi exempla, mores, et linguam ultra Montium advenarum. Proh Deus Immortalis! Quantae iniquitates alienae, cum aliena lingua ab incautis fuerunt degustata! Ecclesiae igitur lacrymas de multorum filiorum lapsu detergite, illos miseros relevate, debiles confortate, superbis resistite, vigilantia, prudentia, sacroque divini Verbi pabulo omnibus praesto estote.

Pari modo Vos Sacerdotes, et Levitae. Vosque electi Dioecesis Alumni Seminarij, qui in quadam veluti sacra palaestra ab ineunte aetate exercemini; prae oculis habetote, quod Populi Christiani bonum pendet a Clero. Ante oculos habete, quod statuit Sacrosanctum Concilium Tridentinum *de vita, et honestate Clericorum.* Otium igitur vitate: Cor enim enervat, atque hebetat spiritum. *Attendite diligenter lectioni, exhortationi, doctrinae, et Sacrorum canonum observantiae: Sic enim salvos facietis vos, et eos, qui vos audient.* Cui quidem doctrinae, de qua hic loquitur Apostolus: si pro viribus operam navabitis, sublimis adeo sacrae militiae, cui addicti estis in mentibus vestris idea exurget; ut ne dum cuilibet oneri subeundo, ad quod

vocabit vos Deus, idoneos, expeditosque vos reddet; sed vestros quoque ita diriget actus, ut si verba, et exempla vestra Sectatoribus Saeculi inania futura sint; efficient tamen, ut illi *obmutescant*; atque ita saltem Religionis Jesu Christi decus, sartum tectumque custodiatis (*).

At vos Sacrae Virgines, eo quia a Mundi consortio, et periculis sejunctae numquid vobis tantum elaborabitis? Nequaquam. Dilectissimae in Domino filiae. Nam Vos de militanti Christi Ecclesia estis, quin et illustriorem in ea tenetis locum. Studendum igitur Vobis est, ut Mundo, quem reliquistis, magis magisque per fidelem Regularum observantiam commoriamini: dein cum fiducia ad Coelum manus extollite. Nam cum Sancta Dei plebs inter strepitus Terraeque angustias suos ad Caelestem Patrem clamores efferet, illa profecto a Secretis gemitibus, suspiriisque vestris potenter juvabitur: *adjuvant enim Sanctae Plebis clamores, suspira, et gemitus Columbarum*.

Vos e contra, qui sub Divi Francisci stemmati nomina dedistis, Sacri Coenobitae, quos tamquam Speculatores Sanctarum Ecclesiae Turrium posuit Deus, fervorem vestrum excitate, vigiliasque renovate nunc temporis vel maxime, in quo humanae stirpis teterrimus hostis tantas sibi parat latebras, atque recessus. *Ponite igitur corda vestra in virtute ejus, et distribuite domus ejus, ut enarretis in progenie altera*.

Similiter ad vos sermonem convertam Optimates Amplissimi Magistratus, et Civium Ordines Universi, rogans vos, atque obsecrans, ut *alter alterius onera portetis*, et

(*) Hoc tam necessarium opus efficient Ecclesiarum Statuta ad normam ultimae Bullae praestari Pontificiis Pii VII. - Impensa qua praemimur solicitudo a Pio Nostro Rege f. m. Ferdinando I. impetratae Anno 1819. cum solidali cura Filii Piissimi Francisci I. pro observantia decretorum S. C. T. praesertim „ de Ecclesiis receptivis, et Patrimonialibus. Hujus naturae poenes sunt omnes Ecclesiae Nostri Regni Divino Cultui, animarumque saluti dicatae.

sic uniuscujusque onus levius fiet. Qui enim vel sanguinis nobilitate, vel munerum splendore clarescitis, quo magis virtutum exercitio praestabitis, eo plus in inferioribus aedificationem effundetis. Qui vero majorem Populi partem constituitis, quo majus sobrietatis, docilitatis, modestiaeque vestra experimenta exhibebitis, eo majorem apud Deum gratiam comparabitis; ut eos, quos ad regimen vestrum elegerit, prudentia, charitate, zelo, et justitia instruat abundantius.

Nec vos silentio praeteribo Patres, Matresque familias, quibus curam concredidit Deus educandi, atque excolendi Filiorum Animas, quas redemit Sanguine Suo, Vos, quibus commissum est in parvulorum cordibus prima virtutum, fideique semina instillare: ne, quaeso, unquam dulcis hujus muneris vestri obliviscamini, sanctificandi scilicet Vos ipsos in sanctificandis liberis operam dando: Parens enim, ait, Divus Paulus *Sanctificabitur in filiis*. Ut hoc vero assequamini, quam pro eorum mortali vita impenditis curam, eamdem saltem pro spirituali, et aeterna impendatis necesse est. Copiose autem vos ipsos alite divini verbi pabulo, Sanctis nempe Cathechesibus, caeterisque piis instructionibus, quae numquam Vobis deerunt, et quibus, Deo opitulante, per quam sedulam navabo operam.

Insuper Vos omnes Charissimi meae curae Pastorali concrediti oro, atque obsecro, ut hisce temporibus a falsis Philosophis caveatis; qui non sophi, sed sophisti jure merito appellantur. Cavete etiam a falsis Prophetis, quorum ingens est numerus, quique *Dei nostri gratiam transferentes in Luxuriam*, ad planas, florescentes, mollesque percurrendas vias doctrinis, et exemplis blandiuntur. *Est via quae videtur homini recta, novissima vero ejus ducunt ad mortem.*

Tandem preces mecum Deo Optimo Maximo fundite pro SSmo Pontifice Nostro Pio Papa VIII., ut ipse salvum, et

incolumem custodiat, et conservet pro totius Christianae Reipublicae bono.

Et pro piissimo Rege Nostro Francisco I., et Religiosissima Regina Nostra Elisabeth, et tota Augustissima Regia Familia; ut Deus, et Dominus noster ab omni adversitate servet incolumes, adiiciens annos eorum usque in generationem, et generationem.

Vobiscum sit Pax; et Gratia Domini Nostri Jesu Christi in Spiritu vestro.

Dabam Romae extra Portam Caelimontanam ipso die Consecrationis Nostrae.

---

NIHIL OBSTAT

D. Paulus Del Signore pub. Prof. Cens. Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Joseph Maria Velzi Sac. Pal. Ap. Mag.

IMPRIMATUR

Joseph Della Porta Patr. Const. Viceg.